

autem Ecclesiarum numerus crevit et tunc templa sive Basilicae indiscriminatim ecclesiae sunt appellatae et tam Sanctorum cultus in utrisque agebatur quam divina mysteria nulla facta inter utrumque distinctione in utrisque pariter sunt celebrata. Basilicae nomen non aliae Ecclesiae retinuerunt sive non aliis Ecclesiis hoc nomen Basilicae datum fuit, quasi antonomastice, nisi iis Ecclesiis quae per totum orbem magis essent insignes vel ob antiquitatem vel ob magnitudinem aut celebritatem quae ipsis inerat, quaeque per hoc ipsum majori veneratione, ut ita dicam, dignae habebantur. Haec fuit temporis progressu celebrioribus Ecclesiis data denominatio. Ast quum ob aliquam peculiarem rationem Basilicae nomen a Summis Pontificibus aliis etiam Ecclesiis concessum fuit, quae iis per se non gaudebant antiquitatis aut celebritatis aut, si dici potest, majoris cultus notis, tunc facta inter vetustiores et novas Basilicas distinctione illae *Majores*, hae *Minores* Basilicae nuncupari coeperunt, quemadmodum Basilicae minoris nomen Lucerinae Ecclesiae nostrae concessum nuper est. Et haec majoris vel minoris appellatio alteri aequivalet *primi aut secundi ordinis*. Quatuor tantum primariae Ecclesiae Romae Basilicae majores dicuntur seu patriarchales Ecclesiae, in memoriam primarum quatuor patriarchalium Cathedralium: Lateranensis, Vaticana, s. Pauli Via Ostiensi et Liberiana, quarum prima, juxta *Macrium* aliosque Sedem Romanam, in qua novus Pontifex instituitur, praesignat; secunda Constantinopolitanam repraesentat; tertia Alexandrinam designat; quarta Antiochenam Sedem exhibet.

Differentia patet inter Basilicas *Majores* et *Minores*: quae vero sint utrarumque privilegia, honores et cae-

tera, quae ipsis tribui debeant, silentibus Auctoribus ignorare penitus fateri cogor nec me pudet, cum deficientibus momentis, nullis exstantibus super hoc legibus certi aliquid statui a nemine possit et ipsis Basilicis majoribus diversa a Summis Pontificibus nec omnibus aequae communia tributa et concessa sint. Quid igitur? Rem imperfectam relinquam? Haud quidem decet et ab ipsis apostolicis Literis, ab aliarum Basilicarum exemplo desumenda responsio erit.

Jam dubitari nequit Ecclesiae Lucerinae *Minoris* Basilicae titulo decoratae aliquid concedi voluisse et ea sane, quibus Basilicae Minores gaudent et utuntur. Legitur enim in Literis apostolicis: *Regale et cathedrale templum Lucerinae Neapolitani Regni in Basilicam Minorem cum omnibus et singulis privilegiis . . . quibus Basilicae Minores utuntur veluti et frui possunt et poterunt, erigimus et constituimus*. Ne igitur frustranea sit concessio, cum aliquid debeat concedi et ea concedenda dicantur, quibus Basilicae minores utuntur, videndum quae sint ea, quibus utuntur Basilicae memoratae. Sequitur enim haec esse, de quibus apostolicae Literae loquuntur. Siquidem quaedam, ut Romae videmus, sunt omnibus communia, quaedam vero aliquibus concessa. Communia sunt Conopaei (sive italice *Padiglione*), usus Tintinnabuli, quod illud praecedat in sua cujusque Ecclesia et in supplicationibus toti Clero communibus, in vestibus vero choralibus Cappamagna pellibus armellinis ornata in anteriori parte per hyemem et cotta super Rocchettum, cum cappa deponitur, per aestivum tempus: quae vero aliquibus concessa sunt singulariter, pauca sunt, quod sciam et fortasse sola palmatoria et haec quidem aliquibus in Missis tantum solemnibus,

aliquibus in Missis etiam lectis, sed infra Ecclesiae suae taxative limites ut non multis abhinc annis Basilicis s. Laurentii in Damaso concessum non ignoramus et s. Mariae in Transyberina regione. Haec sunt, quae si non intrinsece et absolute minoribus Basilicis conveniunt, reapse tamen concessa ipsis sunt et his utuntur vel ex communi usu vel ex singulari concessu. Jam cum Literae apostolicae concedant *Ecclesiae Lucerinae* ea, quibus minores Basilicae uti et frui possunt, non quae intrinsece et absolute conveniunt, licet Conopaeum et Tintinnabulum non memorent, hoc tamen privilegium, hoc honorificentiae saltem signum concedere eas voluisse dicendum est, quemadmodum et cappam supradictam in hyeme et cottam supra Rocchettum aestivo tempore, nisi forte jam ante postrema haec, quod nescio, peculiariter sint concessa. Generalia quidem sunt Literarum apostolicarum verba, attamen ejusmodi, ut de concessione nequeat dubitari.

Tota difficultas quoad palmatoria usum poterit moveri, cum haec non omnibus aequae minoribus Basilicis, sed aliquibus tantum Romae concessa sit: dubitari hinc de hac potest, cum non communis sit aliis omnibus; quod enim universaliter omnibus est commune, id solum dicendum est voluisse concedi. At cum eodem tempore Ecclesia Lucerina sit etiam Ecclesia Cathedralis, posset aliquo modo dici id etiam voluisse concedi, quod habent aliquae Basilicae minores, quae Cathedrales non sunt.

Quod spectat ad Conopaei et Tintinnabuli usum et horum concessionem exemplum non deest et reperitur in una *Calathaierenensi* Syracusanae Diocesis sub die 22. Martii 1817. Distractis enim quindecim Terris ab extensa nimis Syracusana Diocesi, unam ex duabus in *Calathaierenensi* civitate

existentibus Collegiatis nempe Ecclesiam sancti Juliani ad cathedralitatis honorem tamquam alia aptiorem erigi voluit erectaque reapse fuit. Altera vero Collegiata, nempe s. Jacobi ob insignitatem Basilicae minoris titulo fuit condecorata. Supplicantibus hujus Ecclesiae Canonicis Conopaeum et Tintinnabulum gestandi facultas facta fuit. Verumtamen (ne quid me reticuisse incuser) quidam appositi sunt quoad horum usum limites, nempe *in iis tantum solitis et consuetis functionibus ecclesiasticis, in quibus non concurrat cum altero Cathedralis Ecclesiae Capitulo, idque in Ecclesiae ambitu vel inter limites tantum ejusdem parochiae, excepta dumtaxat ab hac limitatione solemnibus supplicatione ab eadem Collegiata fieri quotannis solita per vias Civitatis in die s. Jacobi ejusdem Titularis*. Hic, ut liquet, agebatur de Ecclesia Collegiata ad Basilicae minoris gradum evecta et in concursu cum Ecclesia Cathedrali, et ideo jure, merito prudenterque limites concessae facultati fuerunt praescripti; hoc evenire nequit in Ecclesia Lucerina, quae simul est Cathedralis atque ideo nullam fortasse meretur exceptionem, cum aliquid semper ut Ecclesia Cathedralis in se honorificentius praee aliis omnibus Ecclesiis habeat. Unum tamen quoad Conopaeum adverterem, illius nempe materiam talem esse debere a qua *auri argentine texturam* aut ornatum prorsus excluderem.

His omnibus positis, attenda dignitate Cathedralis Ecclesiae, attentis Literis apostolicis, quae eidem Cathedrali Ecclesiae Minoris titulo honestatae privilegia, praeeminentias concedunt, quibus aliae Basilicae minores gaudent, attentis aliarum minorum Basilicarum exemplis, ne concessio

frustanea et specie tantum data videatur, respondendum putarem: *per privilegia, praeminentias, gratias intelligi Conopaeum omni tamen auri et argenti ornato excluso, et Tintinnabulum, usum cappae, ut supra dictum est*: quibus Emmi P., si ad exemplum nonnullarum minorum Basilicarum Urbis palmatoriam propria tantum in Ecclesia addere velitis, haud quidem repugnarem cum aliquo modo apostolicas literas favorabiliter interpretando posset includi: et ad R. D. Secretarium cum SSm.

Aliae Exemptionum, Indultorum etc. voces verba sunt generalia, quae quidem, cum nihil honorificentiae, ut videtur, singulare includunt, nihil etiam hujus generis concedunt ac nullam dari ab hac S. C. declarationem exposcunt, quae sit nimirum illorum vis, quid significant, quove modo Cathedrali Lucerinae debeant aptari atque proinde non erat hujus S. C. haec omnia inquirere.

Dilectis filiis, Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cath. Caesenae.

Pius PP. VI.

Inest profecto in omnium animis honorum sensus quidam praecipui amoris et benevolentiae erga civitatem illam, in qua fuit quisque in lucem editus atque susceptus, ubi sacris primum imbutus, ubi tenera adhuc aetate ad pietatem et optimas artes excultus, ubi genus, ubi majorum vestigia habet. Quo quidem sensu et Nos affici vel maxime profitemur ejusque rei per multa antehac eademque certissima dedisse signa arbitramur. Etsi vero satis jam sibi factam a Nobis isti patriae aestimare possit, nondum tamen est nostra in illa charitas expleta. Quare summas, inter quas detinemur quotidie curas, illa

interdum subit jucundissima sane cogitatio de ea nimirum augenda magis et ornanda. Atque virtutum quamvis splendore vestrarum, dilecti filii, qui primas in illius clero tenetis, lucere ea maxime debeat, id quod a vobis jure omnino postulatur, statuimus tamen, ut ex vestris etiam honoris insignibus decus eidem aliquid accedat.

Nos igitur vos specialis favore gratiae prosequi volentes motu proprio et ex certa scientia maturaque deliberatione Nostris, vobis, dilecti filii, Praeposito, Archidiacono et Capitulo Ecclesiae Cathedralis Caesena patriae Nostrae vestrisque successoribus, ut in diebus festis infra annum solemnioribus nempe in Nativitate Domini, in dominicis Resurrectionis ac Pentecostes cum duobus respective sequentibus diebus, in festis Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Domini Nostri Jesu Christi, in feria quinta coenae Domini, feria sexta in Parasceve et Sabbato sancto: dominica in Albis et dominica SS. Trinitatis, in festivitatibus Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis beatae Mariae Virginis omniumque Sanctorum, Nativitatis s. Joannis Baptistae, sanctorum Petri et Pauli et beatae etiam Mariae Virginis de populo nuncupatae et translationis corporis sancti Mauri Episcopi, in die anniversario dedicationis vestrae Cathedralis Ecclesiae ac in commemoratione omnium fidelium defunctorum, dummodo iisdem diebus Episcopus solemniter ac pontificaliter celebret, sicuti etiam aliis diebus, in quibus diebus Episcopus aequae solemniter ac pontificaliter celebrare voluerit et Canonici juxta praescriptum caeremonialis Episcoporum sacra paramenta assumere debeant, singuli vestrum vestrique successores in vesperis et missis solemniter decantandis necnon

in processionibus seu aliis hujusmodi functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta tam in dicta cathedrali quam in aliis ejusdem civitatis et suburbiorum ejus Ecclesiis, in quibus ad sacra solemniter peragenda tam Episcopus quam capitulum collegialiter accedere consueverint vel in futurum contigerit, mitra simplici ex tela linea praesente etiam sanctae romanae Ecclesiae Cardinali et de latere necnon Provinciae Romandiolae legato uti libere et licite possitis et valeatis, auctoritate apost. tenore praesentium perpetuo concedimus et indulgemus.

Quod si Episcopus in enunciatis festivitatibus ac respective diebus absens fuerit vel praesens pontificaliter non celebret, sicut etiam in processionibus litaniarum tum majorum tum minorum, quas idem Episcopus per se ipsum non peragit, Dignitati seu Canonico tantum hujusmodi functiones peragenti, ut indumenta pontificalia sacris actionibus respective convenientia nempe mitram simplicem ex tela aurea praesente Episcopo vel sanctae romanae Ecclesiae Cardinale, crucem pectoralem sine gemmis, anulum cum unica gemma, sandalia ex oloserico, chirotecas, tunicellam et dalmaticam necnon faldistorium ligneum oloserico currentis coloris non autem ex tela aurea vel argentea coopertum et ministrum de candela seu palmatoria inservientem habere libere et licite possit et valeat, tenore praesentium concedimus pariter et indulgemus, ceteris Canonicis usu mitrae, quotiescumque Episcopus pontificaliter per se ipsum non celebret et sacra paramenta ab ipsis assumi non debeant, penitus interdicto. Praeterea contingere cum possit, ut festum aliquod ultra supra expressa in Cathedrali vel in aliis ejusdem civitatis et suburbiorum Ecclesiis, in quibus vel praesente

vel absente Episcopo capitulum collegialiter conveniat, peragatur, Dignitati seu Canonico in missa et vesperis sive etiam processionibus celebrandis munus explenti pariter indulgemus, ut mitra et respective convenientibus indumentis pontificalibus supra enuntiatas uti possit, dummodo licentiam singulis vicibus ab Episcopo obtinuerit. In exequiis vero defunctorum, in quibus juxta Pontificalis romani part. 3. tit. de officiis, quod post missam solemnem pro defunctis agitur, et Caeremonialis Episcoporum lib. 2. cap. 2. dispositionem, conveniens est, ut fiant absolutiones tam ab Episcopis celebrante quam ab aliis Episcopis vel Praelatis, si adsint vel in defectum Episcoporum a quatuor primis Dignitatibus vel Canonicis, ut hujusmodi quatuor sive Dignitates sive Canonici absolventes in actu tantum absolutionum praedictarum mitra simili uti possint facultatem tribuimus et imperitimus. Inhaerentes autem sacrorum rituum congregationis decreto diei 24. Januarii 1751 edito et a san. mem. Benedicto XIV. Praedecessore Nostro suis literis apostolicis tertio Calendis Martii ejusdem anni confirmato volumus ac districte praecipiendo mandamus, ne Dignitas aut Canonicus celebrans praesumat ullo modo aut pontificalibus indumentis ad altare aut in choro indui vel populum trina benedictione benedicere vel cum formula episcopali: *Pax vobis* salutare vel pastorali baculo uti. Nullus vero sive Canonicus sive Dignitas in processionibus Corporis Christi mitram in capite gestare aut mitra in aliis praeterquam in supradictis collegialibus functionibus uti unquam valeat. Insuper vobis singulis vestrumque successoribus, ut in propriis armis et insigniis mitram sine pileo apponi facere et addere possitis licentiam imperitimus.

Datum Romae die 22. Jan. 1796.
(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 607.)

i) In Synodo.

Vd. *Synodus* (habitus; Canonicor. etc.)

UTENSILIA SACRA.

1) Cardinalium, Episcoporum etc. cui
competunt post mortem?

Vd.: *Paramenta Episcopi.*

*SSmi D. N. Pii Papae IX. Literae
apostolicae, quibus aliqua dubia
circa sacra S. R. Cardinalium et
Episcoporum utensilia declarentur.*

Pius Papa IX.

Ad futuram rei memoriam.

Quum illud plurimum referat, ut in apost. concessionibus nullus dubitationi detur locus, quae animos torqueat et controversias excitet, idcirco si quam existere ambiguitatem noverimus, ad eam avertendam curas nostras libenter intendimus. Jam vero praeter indultum testandi de propriis bonis, quod venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus sancta haec Sedes tribuere solet per apostolicas literas in forma brevis incipientes, „de benignitate Sedis apostolicae“, iisdem per alias similes literas in forma brevis, quarum initium: „Cum fel. rec. Urbanus VIII.“ facultas conceditur disponendi de sacris utensilibus favore alicujus Ecclesiae seu capellae vel loci pii, non obstante constitutione Urbani VIII.: „Aequum est,“ edita die 24. Julii anno 1642, qua sacra Cardinalium utensilia pontificio Sarario attribuantur. Verum quum in memorato postremo brevi, etiam quando agitur de Cardinalibus Archiepiscopis et Abbatibus, ex quodam invento usu addi consueverit clausula: „Salvaque in praemissis quoad ecclesias cathedrales, metropolitanas aut patriarchales, quibus praefueris, quas alias ex concessione vel dispensatione apostolica in titulum, administrationem seu commendam obtinueris, dispositione constitutionis fel. rec. Pii PP. V., anno 1567, tertio Calendas Sept. anno secundo“ saepe saepius dubia exorta sunt circa interpretationem et vim hujusmodi reservationis eove magis quod in superius memorato brevi: „de benignitate Sedis apostolicae,“ praefatae s. Pii V. constitutioni in ea parte, quae sacra utensilia respicit, aperte derogetur. S. namque Romani Pontifices Cardinalibus quoque Archiepiscopis et Abbatibus privilegium disponendi de sacris utensilibus concedere solent, illud frustraneum et illusorium foret, quatenus adjecta clausula eam vim haberet, quam verba praeseferunt. His quoque accedebat quod nonnulli sacrorum canonum interpretes doceant, Cardinales, utpote qui in memorata s. Pii V. constitutione speciatim nominati non sint, ea lege minime teneri, etsi alii contrariam sententiam tueantur. Quae cum ita essent, venerabilis noster Petrus Cardinalis Ostini nunc Episcopus Albanensis, qui tunc temporis episcopalem Ecclesiam Aesinam regebat, enixe postulavit a fel. rec. Gregorio XVI. Praedecessore nostro, ut rem certo definiret atque expresse declararet, an cardinales Episcopi seu Abbates nullius in apost. memoratis literis s. Pii V. Praedecessoris nostri comprehendantur, ac statueret quatenam sacra ornamenta et suppellectiles et utensilia S. R. E. Cardinalium ad Sacrarium pontificium ex memorata constitutione Urbani VIII. et quatenam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum nullius, sive cardinalitia dignitate fulgeat sive illa careant, ad ecclesias cathedrales ex superius citata sancti Pii constitutione revera spectent et

quomodo facienda sit divisio sacrorum suppellectilium et utensilium, quando Episcopus sive successive sive simultanee plures Ecclesias gubernaverit. Nos igitur, qui memorati decessoris nostri bo. me. Gregorii XVI. locum licet immerentes suffecti sumus ad praecedendas omnes hac super re dubitationis ac controversiae causas de consilio VV. FF. Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium Praepositorum, haec, quae sequuntur, auctoritate nostra apostolica decernimus et mandamus.

1. Cardinales Episcopos teneri quoad sacra utensilia lege lata in constitutione s. Pii V. incipiente: „Romani Pontifices,“ exceptis tamen Cardinalibus Episcopis suburbicariis necnon exceptis pariter Cardinalibus abbatibus nullius, qui in romana curia morantur, quorum sacra utensilia, attentata citata constitutione: „Aequum est,“ Urbani VIII., praedecessoris nostri ad pontificium sacrarium spectabunt.

2. Firmis remanentibus clausulis derogatoriis constitutioni s. Pii V., cujus initium, „Romani Pontificis providentia,“ in literis in forma brevis incipientibus: „De benignitate sedis apostolicae,“ apponi solitis, in altero brevi quod incipit: „Cum fel. rec. Urbanus VIII,“ auferatur clausula, qua salva edicitur eadem plana constitutio ejusque loco substituantur ea, quae sequuntur: „Quod si Ecclesiis abbatibus, cathedralibus, metropolitanis, patriarchalibus praefueris seu quas alias ex concessione, dispensatione apostolica in titulum, administrationem seu commendam obtinueris, te vehementer hortamur, prout jam Benedictus XIV. Praedecessor noster in sua constitutione incipiente: „Inter arduas,“ Cardinales hortatur, ut in praedictis rebus disponendis eas

Ecclesias prae oculis habeas ceterisque praeferas.“ Quae vero hoc in articulo praescriptissimum ea ad singulos Cardinales extendimus, qui ante praesentium literarum publicationem enuntiatam testandi ac disponendi facultatem obtinuerunt, perinde ac si in respectivis indultis expressa essent.

3. Sacra utensilia, quae vigore constitutionis s. Pii incipientis: „Romani Pontificis,“ Ecclesiis cardinalibus debentur, haec esse edicimus: mitras scilicet, planetas, pluvialia, tuniceas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, lineos amictus et his similia; item missalia, gradualia, libros cantus firmi et musicae, libros pontificales, alterum cui titulus: canon missae; item calices, patenas, pixides, ostensoria, thuribula, vas aquae benedictae cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum et urceolos una cum pelvibus et tintinnabulo, palmatorias, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastorem, faldistorium aliasque res sacras sive paramenta sive ornamenta sive vasa, si quae sunt etiam ex eorum natura usui profano congrua, dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui sacrisque functionibus fuerint destinata: exceptis anulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis et omnibus utensilibus cujusvis generis, quae legitime probentur ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad Ecclesiam non pertinentibus neque constet Ecclesiae fuisse donata. Volumus propterea teneri ac debere Episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimat, quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quae ex Ecclesiae redditibus ac proventibus sibi compa-